

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 7. 1) Notio.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

manus sit liquida et indubitabilis. Ad istam vero comparandam non nisi haec sufficiunt argumenta, quae primo plenam probationem, eandemque secundo subito et absque ulla productionis, deductionis, expositionis et indagationis ambage largiuntur. Atque in horum argumentorum numero praecipue censenda est ipsa, de qua nunc sermo instituentus, protestatio cambialis.

## SECTIO II.

## Notio et expositio generalis protestationis cambialis.

## §. 7.

## 1) Notio:

Protestationis cambialis (quam barbaro vocabulo etiam *protestum* \*) dicunt) vim naturamque ita definiendam esse censeo, ut sit *protestatio in instrumento publico facta de iuribus creditoris cuiusdam cambialis erga alium, quae ab omissione actus a tertio suscipiendi tanquam sua conditione pendent, conservandis.* \*\*) Non enim obstat principali huic significationi, quod eodem vocabulo etiam ad instrumentum, quo protestatio contineatur, publicum

B 2

in-

\*) Scilicet tum in neutro genere declinationis secundae, tum in masculino declinationis quartae. Io. Christoph FRANK inst. I. camb. Lib. I. Sect. 4. tit. 1. §. 2. not. a.

\*\*) Definitionem legalem, prolixam quidem, non vero satis accuratam, offert Ordinat. camb. elect. *Palat.* art. 20, in SIEGEL, corp. j. camb. P. I. pag. 396; eandemque iisdem verbis repetitam Ordinat. camb. *Juliacensis* et *Bergensis* art. 20 in UHL. cont. II. pag. 22.



infigniendum utantur; per metonymiam enim istud fieri facile patet.

## §. 8.

2) *Uterior notionis dilucidatio,*

Praecedens protestationis cambialis definitio ex eo lucem et robur nanciscitur, quod in cambiorum tum trassatorum, tum priorum cursu plures occurrant actus, quos ut tertius perpetret, contrahentes hac vel alia ratione conveniunt, quippe ut obligationem quandam implendam voluntatis suae declaratione suscipiat vel etiam eandem revera impleat. Quod quidem si non faciat vel non penitus sive minus perfecte faciat, sive nolit sive nequeat, redit res ad priores contrahentes; idque si acciderit, nova nascitur unius contrahentis obligatio, quae alias si nempe desiderio respondisset tertius, locum non habuisset. Ut igitur novae huic obligationi sua vis et effectus constet, necesse est argumenta in promptu sint, quibus probetur, haud praestitam fuisse, quae hujus obligationis conditionem contineat, actionem; id quod fit interposita protestatione cambiali \*)

## §. 9.

3) *Notionis per partes explicatio.*

Si istam definitionem, quam praemisi, in suas partes dissolvere velis; facillime invenies, ad protestationis cam-

\*) Terminum: *einen Protest leviren*, alii de acceptance instrumenti a notario per protestantem facta, alii de ejusdem transmissione ad trassantem s. alium ex cambio obligatum, alii denique de ipsa instrumenti confectione explicant. Cum vero omnia ista facta in eadem concurrant persona, ultimum autem maximi inter omnia sit momenti; haec vocabuli significatio palmam mihi prae ceteris mereri videtur.